Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

publice et principum et civium salubritate. ut nomen habeat glorie ipse se precipitat morti. Cuius corpus cum gaudio honore colligitur et ad templum perducitur apollinis et incendio consumitur. et cineres eius in templo pro salute rei publice et civium reconduntur. Tunc cesarius diaconus dixit audiens hoc scelus. O infelices qui traditis animas innocentum in perditione diaboli: qui nec hic nec in futuro vitam eternam invenire potestis. Et erat in eadem civitate occultus usque in diem kalendarum ianuarii apud quendam servum dei christianum. cum quo orationibus et vigiliis deo et domino nostro ihesu christo psallebat, venit autem dies kalendarum ianuarii. Factus est autem conventus civium et venerunt ad templum apollinis et adduxerunt lucianum iuvenem ut sacrificaret. et in sacrificio obtulerunt porcam. quam immolavit lucianus pro salute civitatis et civium. Veniens autem cesarius diaconus cepit clamare dicens. Viri sapientes quid facitis scelus stultum? Numquid iustum est ut pravitate morti tradatis homines? Eadem hora post sacrificium ascendit equum iuvenis. et arreptus furia: cepit furiose arripere equum. Et cum ascendisset in montem: precipitavit se ipse et mortuus est. Hoc cum vidisset cesarius diaconus cepit clamare dicens. Ve rei publice et principibus qui cruciatibus amplectuntur et effusione sanguinum signantur. Ut quid perditis animas diabolice fraudis illusionibus? Audiens hec firminus pontifex dicentem beatum cesarium diaconum. iussit eum teneri cum summo studio et recludi eum in custodia publica. corpus autem luciani collegit secundum consuetudinem et duxit ad templum apollinis et incendio assumpsit. et

sacrificiis templum ornavit. Post dies vero viii. venit luxurius primus civitatis cum firmino pontifice. et eduxerunt cesarium diaconum de custodia publica. et adduxerunt eum in forum civitatis tracine. et postulaverunt consularem campanie qui illis diebus erat consularis in fundana civitate nomine leontium. Qui dum venisset ad tracinam. iam post triduum maceratum cesarium diaconum in foro tradiderunt leontio. Eadem hora leontius consularis interrogavit cesarium his verbis sub voce preconia. Quis vocaris? Respondit cesarius peccator. diaconus non merito. Leontius consularis dixit. Audisti quid iusserunt patres nostri piissimi imperatores? Cesarius diaconus dixit. Nescio. Leontius consularis dixit. Ut sacrificium offeras diis immortalibus. Cesarius diaconus dixit. Vere sic dixerunt. quoniam infelices. Respondit leontius consularis. Quare? Quia pro salute rei publice iusserunt. Cesarius diaconus dixit. Et ipsa salus interfectio est. Leontius dixit. Quare interfectio que nos salvos facit? Et dixit cesarius diaconus. O salus qua intereunt homines ut vivificari non possint. Leontius respondit. Fac quod dico. sacrifica diis. quia inter modo videbis esse supplicia ubi puniri desideras. Respondit cesarius diaconus. Non me commovent pene tue. sed nos commovent eterne que nos torquere habent in perpetuum. Leontius consularis dixit. [illegible] usque ad templum sacratissimi apollinis. Et vinctum ante carpentum leontii consularis duxerunt eum nudum. Et cum appropinquaret ad templum. cesarius diaconus manibus ligatus in medio militum dixit. Deus pater domini ihesu christi qui es in eternum tibi omnia cognita sunt noli me